

quamvis sint boni bonitate essentiali quam habent in quantum sunt homines.

ARTICVLVS IV.

ART. 4. ostendit rectè dici vnumquodque esse bonum bonitate diuina, sicut primo principio exemplari, effectiuo, & finali; nihilominus vnumquodque etiam dici bonum bonitate creatâ formaliter sibi inhærente.

PRIVS probatur, quia quidquid actu est vel habet quæcumque creatura, est & habet illud à Deo tanquam à primo & principaliter efficiente, respondetq; exemplari seu idèæ quæ est in mente diuinâ, & tendit naturaliter in Deum, velut in supremum bonum, finemque vltimum omnium rerum.

POSTERIVS probat B. Tho. q. 21. ver. ar. 4. ex eo quod *Omne agens inuenitur sibi simile agere. Vnde, inquit, si prima (hoc est diuina) bonitas sit effectiua omnium bonorum, oportet quod similitudinem suam imprimat in rebus effectis, & sic vnumquodq; dicitur bonum sicut formâ inherente, per similitudinem sibi inditam, & vterius per bonitatem Dei sicut per exemplar & effectum omnis bonitatis.*

SECUNDO, quod per participationem dicitur aliquale, non dicitur tale nisi in quantum habet similitudinem eius quod per essentiam dicitur: sed Deus est bonus per essentiam; omnia alia verò per participationem; ergo nihil dicitur bonum nisi in quantum habet similitudinem aliquam diuinæ bonitatis; ergo vnumquodque dicitur bonum bonitate propriâ, quam in se habet. Vide q. 21. de verit. ar. 4.

QVÆSTIO VII.

De infinitate Dei.

ARTICVLVS I.

Utrum Deus sit infinitus.

PRIVSQVAM ad art. respondeat, præmittit, Infinitum aliquid dici ex eo quod non est finitum; docetque & materiam finiri seu terminari per formam, in quantum materia priusquam recipiat formam, in potentia ad multas formas, sed cum recipit vnam terminatur per illam, ita vt ad eam solam sit in potentia propinquâ, non autem ad reliquas: & vicissim etiam formam finiri ac terminari per materiam, in quantum forma secundum se considerata est communis ad multa, sed per hoc quod recipitur in materiâ, fit determinata forma huius materie.

Deinde, quoddam discrimen adducit, nimirum quod dum materia finitur per formam, simul perficitur; forma verò non perficitur per materiam, sed coarctatur ac limitatur: Vnde sequitur quod infinitum ex parte formæ, habeat rationem perfecti; infinitum autem ex parte materie imperfecti. Infinitum enim ex parte formæ dicitur forma quæ in nullâ materiâ est recepta, ideoque per nullam materiam est finita seu terminata. Infinitum autem ex parte materie, est materia quatenus absque omni formâ consideratur; quia vt sic, per nullam formam finitur aut terminatur.

Porro, cum infinitum propriè dicatur quod

nullo fine seu termino finitur vel limitatur; Habere autem vel non habere terminos, proprium sit quantitati: obseruandum est quod quantitas est duplex, scilicet molis & perfectionis: quæ posterior ad res incorporeas pertinet, in quibus idè est esse maius quod melius. Quantitas autem molis, est duplex, continua & discreta. Vnde sequitur triplex intelligi posse infinitum, scilicet perfectione, magnitudine, multitudine. Hoc autem articulo queritur de infinito perfectione, vt patet ex corp. & ex art. 2.

Quibus præmissis RESPONSIO B. Thom. est quod Deus secundum suam essentiam sit infinitus: quia quod est ex parte formæ profus illimitatum, est infinitum secundum essentiam: Atqui Deus est illimitatus ex parte formæ: ergo est infinitus secundum essentiam. Minor probatur, quia Deus est suum esse illimitatus & irreceptum; esse autem est id quod maximè omnino est formale.

SI DICAS, hinc sequi, substantias secundas esse simpliciter infinitas, eò quod non sint receptæ in materiâ. RESP. cum S. Th. art. seq. inde sequi eas esse secundum quid infinitas, sed non simpliciter: quia licet formæ illæ non sint receptæ in materiâ, non sunt tamen suum esse, sed habent esse receptum in essentiâ, & ad vnam determinatam naturam limitatum: ratio autem B. Tho. procedit de eo quod ita est ex parte formæ illimitatum, vt eius esse in nullo omnino sit receptum, nec in materiâ, nec in essentiâ,

SI FRATEREA dicas essentiam cuiuscumque rei non recipi in alio, nec tamen esse infinitam; ergo B. Tho. non rectè argumentari, quod Deus sit infinitus ex eo quod ipsius esse non sit receptum in aliquo. RESP. NEG. CONS. quia essentia est similis materiæ, & existentia similis formæ; & propterea, quemadmodum materia finitur seu terminatur quando recipit, forma verò quando recipitur; ita essentia terminatur cum recipit, existentia verò vt terminatur, debet recipi: ergo si non recipiatur, est infinita. His accedunt & alia rationes.

PRIMA, Omne quod secundum suam essentiam est finitum, ad generis alicuius rationem determinatur; Deus autem non est in aliquo genere, sed eius perfectio omnium generum perfectiones continet: ergo est infinitus.

SECUNDA, quidquid est finitum, recipit esse ab alio & ab eo limitatur ad aliquid determinatum: atqui Deus neque recipit esse ab alio, neque limitari potest per vllam causam; ergo non est finitus.

TERTIA, Deus à nullo dependet, omnes autem creature dependent ab illo: ergo est infinitus. Inde enim consequens est quod eius essentia nullo fine vel termino possit limitari, quod à nullo dependeat à quo limitetur.

DENIQUE, tam Scripturæ quàm Patres idem affirmant Psalm. 144. *Magnus Dominus & laudabilis nimis, & magnitudinis eius non est finis.* Plal. 146. *Sapientia eius non est numerus.* Baruch. 3. *Magnus & non habet finem, excelsus & immensus.* Dionys. c. 9. de diuin. nomin. de Deo dicit, quod eius magnitudo locum omnem continet, omnem numerum superat, omnem infinitatem transiit. Et postea, *magnitudo hac tum infinita est, tum quantitate vacat, tum numero.* Athan. in symbolo. *Immensus Pater, immensus Filius, immensus Spiritus Sanctus.* Videri etiam possunt Hilar. l. 1.

vnum quod est bonum bonitate diuina.

Bona est creatura per bonitatem sibi propriam.

Materia finitur per formam.

Forma per materiam.

Quid infinitum ex parte forma.

Deus est infinitus.

Ob. Resp.